Fragmentarium

die iudicii et omnes penas inferni et gau
dia paradisi. Unde sicut dicit apostolus spiritus omnia
scrutatur etiam profunda dei. Docet etiam
nos per internas inspirationes. Et hoc modo
docuit sanctos apostolos et doctores ecclesiasticos
et docet omnes christianos quod debent credere
id est articulos fidei, quod debent agere
id est mandata dei, quid debent fugere id est
peccata et concupiscentias mundi, quid debent timere
id est penas inferni, quid debent desi
derare id est gaudia paradisi. Et de hoc
modo docendi dicebat david propheta quasi
bonus discipulus: Audiam quid loquatur in me dominus
deus. Dominus nobiscum loquitur quotiens ali
quam bonam voluntatem vel propositum peni
tendi vel aliquod bonum faciendi nobis
inmittit. Tertio docet nos per manifes
tas predicationes. Et hoc modo docet cotidie
in ecclesia fideles ipsos per predicatores suos.
Unde ipse dicit in evangelio: Non enim vos estis
qui loquimini sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.
Docet ergo nos pater hiis tribus modis
cuius verbum est deus filius. Lingua autem
eius est spiritus sanctus. Dico autem deus filius
verbum dei patris, quia sicut verbum manifestat
loquentem, sic christus manifestavit nobis
deum patrem, cum sibi coeternum et consubstan
tialem, sicut apparuit cum beato philippo
apostolo dicenti sibi: Domine ostende nobis patrem.
Respondit: nescitis quia ego in patre et pater in me
est. Philippe, qui videt me videt et patrem
meum. Quod enim esset equalis patri secundum
divinitatem ostendit cum dixit in evangelio iohannis:
Ego et pater unum sumus. Quod autem mi
nor patre secundum humanitatem ostendit cum dixit:
pater maior me est. Item dicitur verbum patris filius
id est christus, quia verbum appellatur conceptus cogi
tantis hominis, id est cogitatio non potest mani
festari audientibus nisi induatur voce,
sic verbum dei id est filius dei qui erat invi
sibilis nobis in sua deitate non potuit
manifestari nobis donec induceret carnem.
Unde verbum caro factum est et habitavit in nobis.
Item sicut verbum quod est in corde hominis cum
contingit voci totum transit ad quemlibet
audiendum et totum remanet in corde
loquentis, sic verbum dei id est christus cum
iunctum est carni totus descendit ad nos
et totus remansit in patre. Quia suum ad
nos descendere non fuit aliud quam illum
qui prius nobis invisibilis erat in sua
deitate inter nos visibilem apparere
in sua humanitate. Christus ergo est verbum
patris per quod ipse pater docet nos et verbo
et facto. Unde sicut dicitur in libro actuum apostolorum
cepit ihesus facere et docere. Et sancti dicunt
quod omnis christi actio est nostra instructio. Verbum
ergo patris celestis quo ipse docet nos
est filius. Lingua vero eius est spiritus sanctus.
Unde sicut pater docet filios mediante sancti
spiritus gratia. Et in figuram huius in die pe
thecostes super apostolos apparuit in lin
guis igneis spiritus sanctus. Lingua enim
loquimur, ignis vero lucet et ardet. Et
per hoc tria figurabat tria que fecit in a
postolis spiritus sancti gratia. Docuit enim eos
ydiomatum varietatem quod significabatur
in linguarum multiplicitate. Item illumi
navit eos ad sciendum scripturarum va
rietatem quod significabatur in ignis
splendore. Item inflammavit eos ad
dei et proximi caritatem quod significabatur in
ignis ardore. Dei igitur patris lingua est
spiritus sanctus. Docet autem nos deus pater
cum hac lingua id est sancti spiritus gratia
non sonis vocis extrinseco sed tactu cor
dis intrinseco nec per intervalla temporis sed
solo nutu voluntatis. Unde eius doctrina
est solummodo cum hac lingua cor tangere.
Cum hac enim lingua id est cum spiritus sancti
gratia iste pater celestis cor danielis pueri
abstinentis tetigit et induxit sermonem

License: public_domain – Antwerpen, Erfgoedbibliotheek Hendrik Conscience, B 28712:4, fol. 5r – Remigius Florentinus, <i>Tractatus de misericordia</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-g107/9386/69207)